

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. De Cambio obliquo ne verbum quidem facit Auctor. At frequentes adeo in Foro sunt controversiæ de hoc obliquo Cambio, ut necessarium omnino sit de eo paucis disserere.

Cambium obliquum *sub se* (ita opportune illud describit Cardin. de Luca in Summa de Cambiis, n. 16) tres occultat contractus, mutui scilicet, mandati, et Cambii. Ille siquidem, qui pro aliis usibus, vel indigentibus pecunia indigeat, eam mutuam suscipit, adeoque primus est contractus mutui. Quia vero mutuator illam otiosam retenturus non est, sed in istam Cambiorum negotiationem retenturus; hinc mutuarius, ut mutuatore etiam ex justitiæ legibus indemnem servet ab eo lucro quod ex licita Cambiorum negotiatione mutuata pecuniæ obtenturus esset, eidem mutuatori facultatem tribuit, ut ab aliis, vel etiam a se ipso tantumdem, sive æquivalentem summam sub Cambiis suscipere, et ratificare valeat; sive idem mutuarius istud onus in se suscipit. Ideoque non in ipsa mutuata pecunia, sed in alia æquivalenti Cambium ineundum est, ac propterea ultra primum mutui contractum alii duo occultantur; ille scilicet mandati, quod mutuarius mutuatori præstat, vel e converso, et alter ipsius Cambii, quod in mandante executionem ineatur, vel pro inito in odium mandatarii susceptum mandatum non adimplentis haberi debeat, ut ad damna, et interesse ut supra obligatus remaneat.

(36. Quid sentiendum sit de hoc contractu in foro interno, vide apud Benedictum XIV, de Synodo Diocesana, lib. x, cap. 5, n. 10 (1). In foro tamen externo, non diffidente eodem Summo Pontifice, probatus ille est (2).

(37. In creatione hujus, de quo disseritur, Cambii obliqui, necesse haud est ut interveniat pecunia numerata, sed creari ipsum potest ex præexistentibus creditis, iis tamen certis. Rota in Eugubina Cambiorum super reservatis 7 Jun. 1754, § 2, et 12 Apr. 1775, § 2, cor. R. P. D. Elephant., et 25 Apr. 1757, § 3, cor.

1) Profecto defraudandi non erant studiosi lectores per Cl. Additionum Auctorem præclarissimo Benedicti XIV, monito circa justitiam hujus Cambii *Obliqui* in foro interno, præsertim cum nostra cura, ac vis intentionis huc magis referenda sit, ut justitia contractuum in foro interno, atque in iudicio animarum dispiciatur, ac dignoscatur. Quapropter, postquam multa Cl. Additionum Auctor congressisset circa præsumptam justitiam Cambii *Obliqui* in foro externo, illud quoque addendum erat, quod respiciebat interius forum animarum, maxime cum non omnibus præsto sint Benedicti XIV opera. Supervacaneum ergo non erit illud hic adtexere, quo facilius de tota hac re tam sapientissimo Pontifice duce judicare quisque per se possit. In laud. itaque opere de Synod. Dioces., lib. x, cap. 5, postquam hujus Cambii, quod vocant *Obliquum* perspicuam ideam ac notionem tradidisset Beatissimus Auctor, ac quorundam Scriptorum studia ac conatus pro tuenda justitia hujus contractus retulisset num. 10, pro sua insigni sapientia ita inquit: « Verum quidquid sit de foro externo, in quo fortasse illa res gesta præsumitur, sicuti in contractus stipu-

R. P. D. Canilliac; (38. modo absit suffocatio debitoris: (39. quando vero hæc dicatur adesse, tradit Rota cor. Lancett., dec. 107, n. 10 et plur. sequent. et inter impress. post Albit. de Inconstant. in iudic., dec. 14, n. 1.

(40. Quinimo creari potest Cambium obliquum ex fructibus decursis, et nondum solutis aliorum Cambiorum. (41. Tunc sane, cum creatur aliquod Cambium, conveniri nequit, ut fructus in dies decurrentes, nisi suo tempore solvantur, augeant sortem, estque conventio hæc anatocismus ille tantopere a legibus improbat; l. *Si non sortem*, ff. de Condict. indebit. l. *Ut nullo*, cap. de Usur. (42. At nihil impedit, quominus fructus jam decursi una coacervati conferantur in sortem aptam alios fructus progignere, dummodo titulus justus contractus, prout est Cambium obliquum, adhibeatur: idem sacrum tribunal Rotæ non modo in mox citatis decisionibus, verum etiam cor. Caprara, dec. 346, num. 3 et sequent., et dec. 368, n. 2, cor. Ansaldo., 104, n. 9 et cor. clar. mem. Tanara, dec. 174, n. 2.

(43. Quid vero, si nondum venerit dies omnium illorum fructuum? Modo causa fructuum sit duratura, ii sicuti anticipate possunt vere solvi, ita et anticipate solvi fidei possunt per conversionem ipsorum in alia Cambia; Rota cor. Ansaldo., dec. 104, num. 2 et 9, et in confirmatoria coram Mut. impressa apud de Comit. inter dec. Florent., dec. 113, num. 7.

(44. Quod si creditum, ex quo creatum est Cambium obliquum, in totum haud subsistat, vitatur ipsum Cambium obliquum, quoad excessum, et sustinetur pro parte vere debita; (45. idque quia, ubi agitur de individuis, utile per inutile non vitatur, ut ex text. in l. ii, § *Sed si mihi*, ff. de V. O. firmavit Rota cor. Caprara, dec. 652, num. 2 et duob. sequent.; coram Ansaldo, dec. 179, n. 6 et sequent.

(46. De eo etiam disputari solet, an validum sit Cambium obliquum ex credito creatum, si creditor sciverit nullas apud debitorem esse pecunias numeratas, quæ ad nundinas trans-

latione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepta mutuo respondens, neque a mutante, neque a mutuatorio, juxta prædictas diversas pactiones fuerit ad nundinas transmissa, seu in Cambia activa erogata, nec unquam in ulterius animo fuit eam ad nundinas transmittere, seu in Cambia erogare; minime dubitandum est Cambium esse illicitum, turpe, et usurarium, ac propterea e Christiana Republica prorsus eliminandum. Non enim vero negamus, posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere a mutuatorio, titulo ejus quod interest, hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis, sed cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatum sortem exigendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad prædictos Cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis, ac doli. » (EDIT. NEAP.)

(2) Vide num. 15, confer Opusculum, cui titulus *Il Cambio moderno esaminato nel foro della Coscienza in Roma*, 1750, præsertim, cap. 5, ubi nullius momenti esse pro Cambio obliquo argumentum ductum ex Tribunalium praxi ostendit.

mitti possent, ut promissa Cambia effectum habere possent. Negant Noguerol, alleg. 10, num. 134 et sequent.; Palm. Nep. alleg. 267, num. 18; Sanminiati., contr. 183, num. 7; Paulut., dissert. 65, num. 77 et sequent.; Leonard., de Usur. qu. 26, num. 51; Rota cor. Peuting., dec. 163, num. 13 et seq. et dec. 196, n. 1 et 2. (47. At prævaluit opinio affirmativa; vide Balducc. ad Roman., observ. 40, n. 6 et sequent.; Card., de Luca de Camb., disc. 3, n. 6 et sequent., et disc. 4, n. 3 et sequent., et disc. 5, n. 8; Ansaldo., de Commer., discurs. 45, n. 48; Casareg., eod. tract., discurs. 21, n. 10 et sequent.; Rot. Bonon. apud Urceol. de Transact., qu. 4, num. 23, ad fin.; Rot. Rom. cor. Dunozet. jun., dec. 829, num. 15 et sequent.; cor. Emer. jun., dec. 834, num. 9, cor. Caprara, dec. 621, et inter impressas post Balducc. ad Concil. Rom., dec. 49, num. 17.

(48. Num autem id ipsum obtineat, si debitor in creatione Cambii fassus fuerit, se non esse solvendo? (49. Ratio dubitandi inde nascitur quod in creatione Cambii obliqui ex aliquo credito duo actus intervenisse finguntur, alter scilicet solutionis pecuniarum in causam crediti, et alter retrōdationis earumdem pecuniarum titulo Cambii. Ubi autem debitor se non esse solvendo fateatur, fingi nec possunt hi duo actus. (50. At videndum, utrum impotentia a debitore confessa erat physica, an moralis. Priori casu sustineri nequit Cambium ex mox dicta ratione; sustinetur vero posteriori casu. Consule Rotam in Romana Cambiorum, 16 Januarii 1699, § absque, cor. Mut., impressa apud Casareg. de Commer., discurs. 49.

(51. Major quæstio est, an sustineatur Cambium obliquum ex credito creatum, si præservata fuit anterioritas, et potioritas ipsius crediti. (52. Distinguendum ita est: si cum anterioritate et potioritate præservata fuit duratio ipsius crediti, non sustinetur, quia locus nec esse potest fictioni dictorum duorum casuum. At si præservata duntaxat fuit anterioritas, et potioritas crediti, sustinetur. Confer Rotam in Mantis. ad Cardinal. de Luca, de Credit., dec. 8, num. 16, tom. III.

(53. Ex hoc collige, quod si quoquo alio modo præservata appareat duratio crediti, ut si debitor petierit dilationem, non sustineatur Cambium obliquum ex ipso credito creatum; Rota in Eugubina Cambiorum 8 Martii 1754, § 3 et sequent. coram R. P. D. Elephant. Sed jam satis de Cambio obliquo ex credito aliquo creato.

(54. De fructibus Cambii hujus obliqui tametsi valide creati, an, et quando ii debeantur, non inutilis inspectio hic est. Hac autem distinctione proceditur; si onus cambiendi susceptum fuit a creditore, non aliter debentur, quam si ipse creditor probet se revera implevisse onus hoc cambiendi. At si debitor in se assumpserit onus cambiendi, debentur fructus etiam non docto de implemento oneris cambiendi; idque quia actus in odium gerere debentis pro gesto habetur,

ne sua culposo prosit culpa, et adversario noceat; Card. de Luca, de Camb. discurs. 4, num. 6 et seq.; Rocc., Select. jur. disp., cap. xcv, num. 18; Rota cor. Bich., dec. 74, num. 4, coram Molin., dec. 120, n. 4 et seq., et in Romana seu Ferrarinen., Dotis 15 Junii 1736, § 9 et seq. cor. Calcagnin.

(55. Gravis hinc oritur quæstio, utrius sit onus cambiendi in dubio, creditorisne, an debitoris. Placuit, quod sit creditoris, et non aliter pertinere possit ad debitorem, quam si pacto expresso fuerit in ipsum translatum; Card. de Luca, de Camb., discurs. 9, num. 9; Rota, Florent. apud Casareg. de Commer., discurs. 149, num. 47; Rota Romana cor. Cerr., dec. 583, num. 4, egregie in Romana Cambii impressa apud Card. de Luca, tom. I, lib. v, dec. 17, num. 1 et duab. seq. in Romana seu Ferrarinen. Dotis 15 Junii 1736, § 12, cor. Calcagnino, et in Romana, seu Ferrarinen. Dotis super fructibus Cambii 17 Maii 1737, § absque, coram R. P. D. Canilliac.

(56. Quod si debitor assumat onus cambiendi, nihil vetat, quominus illud assumere queat proprio periculo, propriisque expensis; Rota in recent., dec. 304, num. 3, part. 3, et Eugubina Cambiorum super reservatis, 21 Aprilis 1755, § 2 coram R. P. D. Elephantut.

(57. An cessent fructus Cambii obliqui per decoctionem debitoris, qui onus cambiendi assumpsit? (58. Et quid si alter cum debitore in solidum se obligaverit? Vide Rotam in Romana Concursus super reservatis, 6 Decembris 1741 coram de Vais, tum in Romana Cambiorum 17 Februarii 1745, coram Millino.

(59. An itidem cessent fructus Cambii obliqui elapso tempore præfinito? Distingue; ubi debitor assumpsit onus cambiendi absque ulla temporis limitatione, fructus debentur ad sortis usque restitutionem, non obstante termino adjecto restitutioni sortis, utpote qui adjectus censetur in gratiam ipsius debitoris, ne interim scilicet possit ad ipsam sortis restitutionem compelli. Cæterum si non constet, debitorem onus cambiendi assumpsisse absque limitatione temporis, non debentur fructus ultra tempus restitutioni sortis adjectum; Rota in Bononien. Cambii, 28 Junii 1754, § Atque hinc, coram Harrac. et in Romana Cambii 25 Novembr. 1735 et in Confirmatoria, 8 Junii 1736 utrobique fer. per tot. coram Calcagnino.

(60. De Cambio vero obliquo ad biennium contracto, et deinde ad beneplacitum partium, an, et quando prorogatum censeri debeat, adi Rotam in Florentina Pecuniaria super fructibus, 21 Junii 1745, coram R. P. D. Elephantut.

(61. De fructibus quoque Cambii obliqui non incongrue quæritur, an conveniri a principio possint in certa quantitate? Affirmant Rocc. Disp. jur. select., cap. 96, n. 1; Casareg. de Commer. discurs. 16, n. 16; Rot. in Eugubina Cambiorum super reservatis, 25 Aprilis 1757, § 10, cor. R. P. D. Canilliac.

(62. An in Cambio obliquo dari possit fi-

de jussor, vel recipi pignus, non conveniunt inter se doctores. At magis recepta est opinio affirmativa. Consule Gait. De Credit., cap. 2, tit. vii, qu. 6, num. 2336 et plur. seq.; Turr. de Camb. disp. 3, quæst. 1, num. 5, 6 et 18, et qui Bacc. Osach. Noguero. Capyc. Latr. Roderic. aliosque contrarios confutat Constantin. vot. decisiv. 219 per tot. (63. Vide de Cambio obliquo alia verb. Clericus art. 3, et de Cambio directo, verb. Litteræ.

ARTICULUS II.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

De Cambii origine, progressu, abusu et reductione.

(1. Inter contractus, qui antiquitus commercia fovebant, principem sibi certe vendicat locum permutatio, sive Cambium; l. 1, in prin. ff. De contrahen. empl. (2. Cum tamen non adhuc nummorum usus tunc esset inter gentes introductus, hinc res cum alia diversa re permutabatur, et si quid cum ære incusso veteres commutabant, adversabatur antiquus contrahendi modus *per æs et libram*. Ovid., *Pont.* 4, 13, restituente Jo. Frid. Gronovio lib. 2, Observat. cap. 2, pag. mihi 218, et conferri merentur, quæ de hoc loco disseruntur in Epist. Claror. Viror. tom. 2, pagina 547.

(3. Post vero inventam auri, argentique signandi artem novum permutandi genus repertum fuit, Cambium nempe *Manuale*, et *Trajectitium*, ut notant Doctores. Heinec. Element. jur. Cambial. cap. 1, § 5; Zech. Rigor. moderat. Trin. Pontific. circ. usur., dissert. 3, cap. 2, sect. 2 de Camb. § 47 et 48.

(4. Cambium *manuale*, sive *minutum*, illud erat, quo nummi argentei cum aureis, vel aurei cum argenteis, vel Romani cum Hispanis incontinenti apud mensam permutabantur. Heinec., Zech., loc. sup. citat. (5. Hujus Cambii naturam non ignorasse veteres Romanos ex eo compertum fit, quod passim in Justinianeis voluminibus Argentariorum, Trapezitarum, Mensariorum, et Numulariorum fit mentio. (6. Argentarii quippe erant, qui in foro tabernas et mensas suas positas habebant, et minorem monetam pro argento permutabant. Novell. 4, sub fin. et Novell. 136, ibique Cujacius, Vicat. Vocabular. jur., tom. I, verb. *Argentarii*. (7. Mensarii vero dicebantur, qui nummos nummis vendebant. Jaz. Gothofr. ad Cod. Theod. l. 1, tit. *Si quis solid. circul.*; Livius, lib. vii Historiar., cap. 21, et lib. xxii, cap. 21, ubi loquitur de Triumviris mensariis, rogante Minucio Tribuno, plebis factis, et Cicero pro Flacco, ubi: « Cum Civitate mihi res et acerrima, et conficientissima litterarum, in qua nummus moveri nullus potest sine quinque Prætoribus, tribus Quæstoribus, quatuor Mensariis, qui apud illos a populo creantur. » (8. Numularii tandem parum a præcedentibus differabant; l. xxxix, ff. de Solut. Apud eos uti apud Argentarios fide publica deponi pecunias solebant. Vulpian. in l. vii, ff. de pos. De Numulariorum corpore fit mentio, l.

xv Cod. Theod. de his qui sup. relig. contend., de quorum omnium negotiatione erudite egerunt Cujacius Observat., lib. x, cap. 14, et Claud. Salmas, de Usur. cap. 17.

(9. Acrior quæstio solet excitari circa Cambii *trajectitii* originem. Alii enim hanc repetunt a Belgis, alii a Judæis, alii a Longobardis, sed cum nullum afferant validum argumentum, ideo super his mittimus inquirere. (10. Hoc unice certum est, hanc quoque veteribus Romanis innotuisse, ut ex Ciceronis quampluribus locis primus omnium collegit Url. Huber., Prælect., ad Pandect. lib. xvii, tit. 1, § 12. Cicero enim ad Attic., lib. xii, ep. 24, de filio Athenis studiorum causa commorante: « De Cicerone, inquit, tempus esse jam videtur: sed quæro, quod illi opus erit, Athenis permutari ne possit, an ipsi ferendum sit. » Similis est locus, lib. xv, ep. 15, « Cicero scripsit ad Tironem sibi post kalendas Aprilis (sic enim annum tempus confici) nihil datum esse. Quare velim cures, ut permutetur Athenis, quod sit in annuum sumptum: ei scilicet Eros numerabit. Ejus rei causa Tironem misi. Curabis igitur, et ad me, si quid tibi de eo videbitur, scribes. Rursus ad Familiares, lib. ii, epist. 17, et lib. iii, ep. 5. Antiquam tamen cambiendi formam a nostra aliquantulum discrepasse, recte observat Berger. supplem. Elect. Proc. execut., thes. 1, posit. 7.

(11. Verosimile nihilominus est Romanos, Græcos, et postea Venetos, aliasque maritimas gentes in trajiciendis transcribendisque pecuniis usas olim hoc compendio fuisse; Longobardos vero paulatim meliorem huic negotiationi formam dedisse, ut recte arguit Heinec., edit. Neapol., tom. V, exercit. 11 de vit. Negot. Collyb. vel. Camb., cap. 1, § 5.

(12. Sicuti vero omnibus, exceptis clericis saltem beneficiatis, licitum erat hanc in præsentem formam redactam exercere negotiationem, id occasionem præbuit nonnullis rei familiaris angustia, vel alia indigentia pressis illius nomine abuti. (13. Primo in hoc contractu quatuor concurrebant. I. Personæ solventis in loco contractus; II. Recipientis pecuniam simulque tradentis solventi tesseram Collibysticam, sive Litteram Cambialem; III. Tesseram exhibentis; IV. Denique persona eandem acceptans et solvens. Heinec., loc. cit., § 8 et Zech., ubi sup. § 56. (14. Mox abusus invaluit, ut duæ tantum personæ concurrebant: alia, quæ solveret, alia quæ reciperet cum onere transmittendi receptam pecuniam ad incerta loca, pacta interim annua mercede favore creditoris. Hinc non amplius quærebatur, ut pecuniæ Romæ solutæ permutarentur Athenis, sed dum quis maxima laborabat inopia, ut propriis angustiis consulere, recipiebat pecuniam cum simulato onere ad loca valde dissita eandem trajiciendi, eodemque tempore eandem pecuniam in proprios usus erogabat. (15. Res adeo processit ut Romanis Pontificibus opus fuerit huic usurariæ negotiationi modum formamque ponere Pontificiis Constitutionibus; præsertim Pius IV, Constit. 1; et Pius V, Constit. 142 de Cambiis

per errorem allegat. in plerisque locis 118, juxta Bullar. Mainard.

(16. In his Constitutionibus profecto permissum fuit Cambium incertum, sed tamen pro necessario illius requisito interventus numeratæ pecuniæ requirebatur, ejusque traditio *ad cambiandum et recambiandum* per nundinas, atque plateas. Torre, de Cambiis, disput. 1, quæst. 2, num. 1; Onnat., de Contract. tractat. de Camb. sect. 3. § *Materiam*; Ansald. de Comm. et Mercat. diss. 32, num. 8 et 10; Rot. in recent., part. 19, decis. 34, num. 9; et in Eugubina Cambiorum, 21 Aprilis 1755, § 2 in princ., cor. Elephantutio. (17. Cum enim causa finalis Cambii in eo posita sit, ut pecunia accepta in Cambiis et Recambiis exerceatur, et per nundinas atque plateas transmittatur, hinc si nulla tradita pecunia, quæ inde in Cambiis et Recambiis exerceatur, illico causa finalis Cambii cessat, et consequenter corrumpere debet ipse cambialis contractus.

(18. Quamobrem ut omnis eludendarum Constitutionum modus tolleretur, Pius V præcipue mandavit ut idoneæ adducerentur probationes super receptorum pecuniarum transmissione ad nundinas, atque plateas, ut dictæ Constit. inhærens docet Rot. in recent., part. 18, decis. 191, num. 3 et 4, et cor. Lancet., decis. 460, a num. 1 ad 4. (19. Seclusa enim pecuniarum transmissione Cambia remanent sicca, ex quibus annuas recipere accessiones Canonice sanctiones expresse prohibent. Jo. Christoph. Frankius, Instit. jur. Cambial., lib. ii, sect. 1, tit. 8, § 2; Heinec., Element. jur. Cambial., cap. 2, § 20; Zech., Rigor. moderat. circa usur. dissert. 3, cap. 2, sect. 2, § 53. (20. His tamen posterioribus temporibus depravata praxis fori, noxia in legibus interpretandis imperitia, et arbitraria nimis in judicando facultas laxior admisit sententiam, ut docet experientia, et observat Neumannus a Pucholtz de Cambiis cap. 10, § 6 et 8. (21. Nova quippe inventa est distinctio: aut creditor suscipit onus cambiendi, et tunc transmissionis requiritur probatio, aut hoc onus transfertur in debitorem, et hoc casu indistincte sustinetur. Turr., de Camb. disput. 1, quæstion. 29, num. 3 et 14; Marquard., de Jur. mercat. lib. xi, cap. 12, num. 27. (22. At enim vel justus per se, vel iniquus censeri debet contractus. Si justus, inutilis remanet distinctio: si vero iniquus, non satis compertum est, quomodo data hac distinctione sublata iniquitas remaneat, neque in allata Constitutione ullum dictæ distinctionis apparet vestigium, adeo ut, ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus. Cirill., in l. iii, ff. de Offic. præsid. (23-24. Sed apud nos hæc invaluit opinio, in exteris vero regionibus hujusmodi contractus neglecta distinctione de qua supra omnino proseribuntur. Jus. Camb. Aust., artic. 54; Ordinat. mercat. Ludovici XIV, reg. Franc., tit. v, artic. 27; Codex. leg. Dan., lib. v, cap. 14, § 19; Jus Cambior. Pruss., artic. 34.

(25. Quod in artibus liberalibus quotidie accidit, quæ, ubi ad interitum properant, nunquam desinunt declinare, nisi penitus

collabantur, id utique in Cambiis factum est. Post varias fictiones, multosque introductos abusus eo denique insatiabilis pervenit creditorum aviditas, ut capta occasione, qua inopes debitores in extrema versarentur egestate, eosdem adigerent, vel ad solventes præteritos fructus, vel ad creanda ex ipsis nova Cambia. (26. Hinc factum est, ut in omnium legum conculcationem, inducta quoque sit interventus numeratæ pecuniæ fictio, et licita usurarum ab usuris perceptio, quæ non sine maxima Jurisconsultorum, Judicum, et Tribunalium ignominia admittitur in foro, et a Justiniano merito reprobat.

(27. Omnia jura clamant, usuras usurarum percipi non posse, et hæc in foro summis efferuntur laudibus theoremata. (28. At quid differt inter usurarum ab usuris perceptionem, et in novam sortem usurarum conversionem? Hoc profecto est, non rebus, sed verbis legem ponere. Ita Imperator antiqua jura corrigendo definivit in l. *Ut nullo* 28, Cod. de usur: « Ut nullo modo usuræ usurarum a debitoribus exigantur, veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum. Si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, et totius summæ usuras stipulari, quæ differentia erat debitoribus, a quibus revera usuræ exigebantur? Hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. (29. Quapropter hac novissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam, præteriti temporis vel futuri in sortem redigere, et earum iterum usuras stipulari. Sed et si hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, et nullum usurarum aliarum incrementum sentire; sorti autem antiquæ solummodo incrementum usurarum accedere. » Hinc *Anatocismi* nomen venit, Vœt., in Pandect. lib. xxii, tit. 1, num. 20. in princ. Roderic. de Ann. cens., lib. iii, quæst. 7, num. 21; Bruneman. in Cod., lib. iv, tit. 22, in l. 28, num. 1 et 2; Paren., tit. de Re judicat., cap. 24, § ultimo, tom. II, pag. juxt. edit. Lucen. 68, coll. 2 et tit. de Usur. et fructibus, tom. III, pag. 497, coll. 2, § *Quod diximus*.

(30. Hæc in foro obliqua vocantur Cambia, quæ cum directe omnibus legibus opponantur, ne istæ omnino subvertantur, ipsa praxis nonnullas alias leges subrogavit, quibus deficientibus irrita remanent Cambia obliqua. 1. Requiritur, ut actualis debitoris inopia, et solvendi impotentia excludatur. Cum enim in his Cambiis obliquis duplex actus præsumatur, solutionis nempe ex parte debitoris, et simultanæ restitutionis ex parte creditoris, si constet de inopia debitoris, cessat præsumptio solutionis, et novæ receptionis, aliaque subingreditur præsumptio suffocationis inopis debitoris contra validitatem contractus. (31. 2. Ut dilatio peragenda solutioni concessa præcipuam et finalem causam contractus per se sola non constituat. Hinc de Cambie creando primo agendum, deinde de dilatione; non vero principaliter de dilatione, accessorio vero de Cambio. (32. 3. Ut antiquus debendi titulus extinguatur, et prioris tituli novatio fiat.

adeo ut debitor nequeat amplius in vim antiqui, sed vigore novi contractus conveniri. Quare si in novo instrumento antiqua præserventur jura favore creditoris, cum ideo excludatur novatio, ita nullum remanet Cambium. (33. 4 Ut mala fides, et suffocationis debitoris suspicio in creditore non appareat, ut declarando, et corrigendo novas additiones tenent auctoritates ibid. allegat. (34. His deficientibus ipso jure corrumpitur contractus, qui licet camerale sit obligatione munitus, nullam meretur executionem. Marrescot., Variar. Resolut., lib. II, cap. 120, a num. 33 ad 36; Rot. coram Cavaler., decis. 456, n. 1, coram Seraphim., dec. 430, num. 5, coram Falcon., tit. de Fid. Instrument., decis. 1, num. 2 et 3, et in Eugubina Cambiorum, 21 Aprilis 1755, § fin. coram Elephantutio.

(35. Super his absolute, non tamen satis recte in novis addit. Art. 1, traditur præteritos non modo, quam futuros fructus in nova Cambia posse converti, quod tamen non ita absolute sumendum est. (36. Si enim iniquum reputatur in jure usurarum usurarum repetere, quanto iniquius erit, ab usuris usurarum in novam sortem conversis usurarium captare lucrum, et novos creare contractus? (37. Qui usuras futuras anticipate consequitur, obtinet id, quod in singulos annos habiturus erat, ideoque, si omnes eodem tempore recipiat, ex ipsis duplicatas consequetur usuras. Deinde quo demum titulo poterit creditor easdem retinere? (38. Usuræ ex pecunia credita permittuntur, eo quia sit debitori concessus ejusdem pecuniæ usus, et negotiatio. (39. At Creditor anticipate recipiens usuras, neque usum, neque negotiationem concedit debitori, ideo nullo modo possunt sustineri, cum debitor ex ea pecunia lucrum nequeat consequi, nec creditor commode propriæ pecuniæ privatur, sed et pecuniam, et ipsius accessiones nondum debitas, et ulterius ab his accessionibus novos percipit fructus, quo nihil iniquius, nihil absurdius excogitari potest, ut tenent innumerati allegati Doctores a Rota in Recent., part. 14, decis. 420; sub num. 7, vers. *quæ cuncta*, et num. 8, et præcipue part. 13, dec. 116; (40. ubi contrarias conciliando opiniones sequentem tradit distinctionem.

(41. Aut coactiva, aut voluntaria est deceptorum anticipata solutio. Si coactiva, nullo modo potest sustineri. (42. Aut voluntaria est, et tunc sustinetur, dummodo anticipata solutio quartam partem sortis non excedat, ut definitum est in celebri Voto Sac. Pœnitentiariæ, num. 14, in præf. post. decis. 160; part. IV, tom. II, recent. Card. de Lugo de Just. et Jur. disput. 27, sect. 3, n. 10; Filic. Oper. moral., tractat. 35 de Contract. 35, de Contr. oneros., c. 6., n. 106. (43. Cum

SUMMARIUM.

1. Campanarum usus expresse indicatur a Glossa in duobus vulgaribus versiculis.—2. Unde non licet regulariter pulsare Campanas benedictas, seu consecratas, ut convocetur populus ad arma, vel ad designanda supplicia, et mortes quæ dantur reis. —

enim plus solvere dicatur, qui anticipate solvit ad textum in § *Plus autem*, Instil. de action. *Plus petitur tempore, veluti si quis ante diem, vel ante conditionem petierit.* (44. Ideo sicut debitor ab anticipata solutione commodum, creditor vero incommodum sentit, ita æquum est, ut vice versa reductionis, et diminutionis beneficio perfruatur debitor, illius vero detrimentum patiatur creditor, (45. qui tamen anticipate decurrendas summas percipiendo, nova cum his inita negotiatione, potest compensari. Ita mirifice declarat quæstionem allegat., dec. 110, part. 16, recent., et cor. Ansaldo., in addit. ad dec. 104, a num. 24 ad 37.

(46. Superest videndum quis possit Cambia creare. Cum Cambium inter contractus adnumeretur, hinc omnes, qui contrahere possunt, tum activa, tum passiva creare Cambia non prohibentur. Franck. Instit. Jur. Cambial., lib. I, sect. 11, tit. 9, § 3 et 4.

(47. Minorenes et mulieres si læsæ sint, in integrum restitui posse etiam in cambiali contractu tradit Heinec. de Vitiis negot. Collyb. vel Camb., exercit. 11, c. 2, § 7 et 8.

(48. Dubium est circa filium familias, qui si sit in patria potestate licet contrahere nequeat, si tamen pater sciat, filium negotiari, recte in Cambio ipse filius obligatur. Heinec., loc. mox cit.

(49. Quoad Clericos saltem beneficiatos illis omnino interdicta sunt Cambia uti negotiatio prohibita, de quibus fuse agit Auctor in verbo *Clericus*, artic. 3, et declarat Rot., cor. Falcon., tit. de Vita et Honest. Cleri., decis. 1, per tot. (50. Quod si tamen in Cambiis percepta acquiruntur Camera Apostolicæ ex Constit. Pii IV ex ordine Bullar. Mainard. 19, § 1, tom. II, fol. 29; Pii V Constit. 42, § 6, dict. Bullar., tom II, fol. 238; Sixtus V, Constit. 100, § 10, dict. Bullar., tom. II, fol. 667.

(51. Quid vero si angustiis pressi non activa, sed passiva contrahant Cambia? Sunt qui tenent a Clericis passiva Cambia posse creari; dummodo onus cambiendi, et recambiendi in creditorem, vel tertium sit translatum. (52. Indistincte tamen Cambia passiva ab ipsis posse creari tenent Antonel. de Jur. et Oner. Clericor., part. 1, capitulo 7, num. 7; Piton. discept. Eccles. 80, num. 6; Rot. in recent., part. 15, dec. 209, n. 19 et 20, ubi rationem affert. (53. Etenim ratio, ob quam interdictum est Cambium Clericis, in eo posita est, quod nequeant ex illicitis negotiationibus lucrum captare. (54. Cessat autem hæc causa, dum non ad captandum lucrum, sed potius ad proprias reparandas angustias Cambia ineunt, ideo cessare debet prohibitio.

CAMPANA.

5. Campanæ enim benedicuntur, ut vocetur populus ad conveniendum in templo, et Clerus, ad annuntiandas Dei laudes, ut Fideles omnes invitentur ad preces et devotionem. — 4. Insuper benedicuntur Campanæ, ut earum sonitu terri Dæmones statim discedant, et ut repellantur procul hostiles exer-

citus, et ut fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum et fulgurum, infesta tonitrua, et ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, et aeræ tempestates prosternantur. — 5. Campanæ antequam in Campanili collocentur, debent esse benedictæ, et consecratæ ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem, et hoc de necessitate præcepti. — 6. Adeo ut etiam Regulares possint cogi ab Episcopo ad deponendum de Campanili Campanas, si ibi non benedictas appendunt. — 7. Imo Episcopus potest prohibere ne Campanæ nondum benedictæ pulsantur. — 8. Benedictio Campanarum ab Episcopo delegari non potest sibi inferioribus; inferioribus enim Episcopo committi non potest, nisi ex speciali Indulto Pape. — 9. Et qui habet indultum non potest aliis benedictionem delegare, nisi hoc illi concedatur expresse. — 10. Privilegio benedicendi Campanas gaudent Abbates, alique Prelati usum Pontificalium habentes, dummodo id faciant pro solo usu suarum Ecclesiarum. — 11. Campanæ in Sabbato Sancto non possunt in aliqua Ecclesia pulsari ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali vel Matrice. — 12. Tam in Ecclesiis Regularibus, quam secularibus. — 13. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope, et extra muros existentibus, et etiam in Ecclesiis Confratrum. — 14. Etiam si adsit Ecclesia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem. — 15. Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato Sancto possunt conveniri coram Locis Ordinariis, nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distarent. — 16. Regulares prohiberi non possunt ab Ordinariis, et quibuscunque Personis, ne in aliis diebus præter Sabbatum Sanctum pulsant Campanas in suis Ecclesiis, et celebrent ante celebrationem Missæ, et pulsationem Campanæ in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice. — 17. Imo possunt Regulares prius pulsare Campanas, et Missas celebrare priusquam Parochi celebrent. — 18. Et post indultum S. Pii V adest ad id Decretum Sacræ Congregationis Episcop. et Regul. — 19. Et aliud Sacræ Congregationis Rituum. — 20. Et aliud Sacræ Congregationis Concilii. — 21. Et aliud novissimum ejusdem Sacræ Congregationis Concilii in Aquensi. — 22. Campanæ non sunt pulsandæ tempore Interdicti. — 23. Permissum tamen est, ut

(1. Campanarum usus expresse indicatur a Gloss. in cap. *Quia cunctos* unic. de Offic. Custodis Extravag. commun., ubi verb. *Campana* (1) adducit Campanam sic de se ipsa loquentem duobus his versibus (2).

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum, Defunctos ploro, Pestem (3) fugo, Festa decoro.

(2. Unde non licet regulariter pulsare Campanas benedictas, seu consecratas, ut convocetur populus ad arma, vel ad designanda supplicia et mortes, quæ dantur reis; Concil. Mediolan. I, part. 2, tit. de Ecclesiis, et eorum cultu in fine, his verbis: « Sacræ Campanæ usum, qui ad fideles præmonendos, ut ad

(1) Quas Campanas dicimus, eas Germanica voce *cloccas*, et Gallica *cloches* olim vocabant. Ita Guibertus ad Lullum Episcopum, ep. 89: *Cloccam*, inquit, *qualem ad manum habui, tuæ Paternitati mittere curavimus.* (ED. BAR.)

(2) Hos versus multis illustrat cl. P. Zech. de Jure rerum Ecclesiasticarum, unde Franc. Antonius Zaccaria, tom. I Discipl. Populi Dei Fleuryanæ, p. 122 dissertationem excerptis de *Campanis, et Instrumentis musicis.* (ED. BAR.)

(3) Quid hic *pestis*. Malo cum Zechio legere: *umbum fugo*: in quæ verba ita idem Zechius dis-

tempore Interdicti in Festis Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. V. celebrentur Divina Officia solemniter cum pulsatione Campanarum. — 24. Hæc concessio fuit per Martinum V et Eugenium IV ampliata ad Corpus Christi, et Virginis Conceptionem cum tota Octava. — 25. Regulares, quibus post Concilium Tridentinum, et Gregorium XIII, cum sufficientibus derogatoriis specificè et expresse est a Sede Apostolica concessum, ut quædam proprii Ordinis Festa solemnè ritu tempore Interdicti generalis quæcumque auctoritate positi, celebrent, possunt omnibus illis Festivitatibus Missas, et Divina Officia celebrare alta voce, et apertis januis, et pulsatis Campanis et omnia alia peragere, ac si Interdictum minime appositum esset. — 26. Campanæ benedictæ non pulsantur, nisi ad usus quos recenset Glossa *Extr. Quia cunctos*, de Offic. custod. — 27. De consensu Episcopi Campanæ benedictæ pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causæ sanguinis. — 28. Et sufficit hanc licentiam semel petere pro semper. — 29. Episcopus prohibere non potest Regularibus, ne Campanas pro funeribus pulsant sine ipsius licentia. — 30. Servanda est pia consuetudo pulsandi Campanam aliquot icibus tam de sero, quam de mane, quando dicendum est Officium Defunctorum. — 31. Quoad mercedem Campanæ, quæ pulsatur occasione funerum, servanda est consuetudo. — 32. Abusus non est tolerandus, quod Campana aliqua pro solis nobilibus pulsari reservetur. — 33. Quinam primus usus Campanarum tribuendus sit. — 34. De disciplina ob quam majori hebdomada Campanarum pulsatio interdicatur. *Remissive.* — 35, 36. Ubi non sit nec Cathedralis, nec Matrix Ecclesia, Ecclesia magis digna Campanas prior pulsare debet Sabbato S. — 37. Quoad alia. *Remissive.* — 38. Jam a sexto sæculo constat Campanas in Ecclesia in usu esse coepisse. — 39, 40. Et Ecclesiam parochialem plures, casque majores Campanas habuisse. — 41. Campanas certis horis diei ac noctis pulsandas consuetudine introductum est. — 42. In die etiam Anniversaria nequaquam recens est, quod Campanæ sero et mane ante Officium diu pulsantur. — 43. Cujus ritus auctor quis fuerit. — 44. De Campana Bannali.

Divina convenient Officia est introductus, indignum est, ad conveniendos homines ad spectacula suppliciorum adhiberi. Quamobrem Principes ac Magistratus etiam atque etiam hortamur ut Campanis, quæ Ecclesiarum usui sunt addictæ, si consecratæ sint, ad pœnarum significationem quemquam uti ne patiantur. » Et sacra Congregat. Episcop. et Regular., in Papiensi de anno 1581, apud Barbosam in Collectan., dec. Apost., verb. *Campana*, num. 1, expresse decrevit, quod Campanæ consecratæ etiam in turri profana existentes, nullatenus usui profano inseruire debeant, etiam si in hunc usum a secularibus fabricatæ prætenderentur. (3. Cam-

putat: « Persuadent sibi aliqui ex Philosophis, Campanarum sono aerem scindi, et tempestatum injurias ad naturalem effectum depelli: Alii confidunt in virtute divina, quæ precibus Ecclesiæ in benedictione Campanarum imploratur... Nota est persuasio populi, quia fulmine et grandine se tutum fore confidunt, ubi auditur sonus Campanulæ a S. Bennone, de quo Acta 55, 16 Junii, p. 149 et a S. Wolfgango benedictæ. » Addere Zechius poterat sonum Campanulæ Laureti, in sacra Deiparæ domo benedictæ. (ED. BARBIEL.)